



Universitätsbibliothek Paderborn

Dormi Secvre: Vel Cynosvra Professorvm Ac Stvdiosorvm Eloquentiæ,

in qua Centvm Et Viginti Themata Oratoria. Non Solvm Stvdiosis, Sed &
Professoribus eloquentiæ, ac pietatis veræ amantibus utilissima &
pernecessaria explicantur ; Cum Indice rerum atq[ue] verborum locupleti

Tympe, Matthäus

Coloniæ Agrippinæ, 1650

LXXIX. Nihil esse fortius muliere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38994

perfectò ubicunque Deus est, qui idem ubique est, eodem semper honore afficiendus est. Etsi Christus erit Angelis adorandus in hunc orbem veniens, hoc est, incipiens esse in terris eo modo, quo ante non fuerat, quidni adoretur etiam nunc à miseris mortalibus, cum singulis penè momentis in Altaribus ea ratione existat, qua prius non fuit, cum eadem sit caro, sanguis idem, eademque prorsus persona, Filius Dei, nisi quòd nobis immortalis, gloriosus, nullisque miseriis ac doloribus obnoxius proponatur adorandus, quem ad hujus mundi infinitas molestias perferendas venientem Angeli & Magi summa veneratione sunt profecuti? Ne simus nos, Aud. hum. Magis inferiores, offeramus & nos Christo actuum nostrorum innumuscula, quæ jam non in terris & cunis jacens suscipiat; sed quæ sedens ad dexteram Patris amplectatur in cælo. Hunc denique in primis cognoscere studeamus, cognitum laudemus, laudatum amemus, amatum exprimamus, atque imitemur; imitantes, eo fruamur; fruentes, immortalis felicitate potiamur. AMEN.

LXXIX. NIHIL ESSE FORTIVS
Muliere.

Quamquam agricolæ vigilantes, Auditores humanissimi, cum habeant vicinum torrentem, qui vexat læditque segetem, non cum hyeme inundat, & ultra margines intumescit, multoque aquarum impetu fertur violentus, sed tempus illud prævertentes, dum tranquillus est atq; angustus, & ripas obsepiunt, & aggeres erigunt, & fossas agunt, denique omnibus nervis sese præparant adversus futuram ejus violentiam: tamen pastores, quamdiu noxia bestia molesta non est, sub ilice aut quercu porrecti fistula canunt, sinentes oves liberè suo arbitratu pascere; verum postquam sentiunt

tiunt alicunde luporū incursionē imminerē, mox abiecta fistula fundam arripiunt, & omisso calamo fistibus & saxis obarmant sese, proque sepris consistentes, magno emisso jubilo ingentique ulularū vaciferantes, omnia magno strepitu & vociferatione concutientes, & magnis clamoribus vacua omnia complentes, frequenter ipso clamore feram, priusquam irrumpat, abigunt atque propellunt. Idem & mihi, Auditores, in præsentia est faciendum, & si quid dicendo consequi possum, eo potissimum conferendum mihi erit, ut quorundam luporum in hanc nostram pergulam & Hermatheam incursionibus resistam.

Meministis enim probè, Auditores, duos clamatores (lapsus sum, erravi, pœniter, declamatores dicere volebam) paucis abhinc diebus nobis fumos, offucias, ac nebulas vendidisse, & pulveris minutias (quales atomos in sole per fenestras transfuso volitare videmus) oculis offundere conatos esse, quibus occæcati, non videremus quid verum, quid secus.

Meministis eos se mutuis convitiis lacerasse, & tantum convitiiorum alterum adversus alterum dixisse, quantum non una navis vehat. Hosce ego video, hic hic enim sunt in nostro numero, & quos ferro trucidari oportebat, eos nondum vulnero. Vix solebat esse aliud amicorum patris in toto Scholasticorum grege arctiori necessitudinis vinculo conjunctum, & sanctiori consuetudinis fœdere copulatum. Unde igitur ista seges dissidii? unde istud seminarium odii? Alter frivolis quibusdam rationibus, & argumentis, quid dico argumentis? imò verò, deliramentis, Sybariticis & puerilibus fabulis VINO (quod jam diu magnopere dilexit) nihil esse fortius comprobare nitentur. Alter verò, metuēs ne auctoritas, imperiū, ac potētiarabeatorū & torquatorum turbæ, (cui

hactenus à pedibus fuit, (imminueretur, ne, inquam, Magnates ex astris deciderent, & ex altissimo dignitatis gradu præcipitarentur, è diverso, Rege nihil esse fortius demonstrare conatus est. Quam insolentiam, insolentiam autem? imò verò inusitatā ac penè inauditam impudentiam, adhuc lapsus sum, furrbundam dementiam, nullo modo æquo animo ferre possum, vel si (quod longè lateque absit) culeo cum gallo, serpente & simia essem insuendus, reputans me cum aureum illud elogi-

Propositio um Divi Innocentij. *Error, cui non resistitur, approbatur; & veritas, cum minime defensatur, opprimitur.* Quare etiam magno, ardenti, & excellenti ingenio viri, cum se doctrinæ penitus dedissent, quicquid laboris poterat impendi, contemptis omnibus & publicis & privatis actionibus ad defendendæ veritatis studium contulerunt.

Hac de causa, etsi nugiuenduli isti doctrina & eloquentia tantum me præcedant, ante alios quantum Pegasus ibat equos: tamen (si Deus cœptis annuerit) in Cimmeriis eos tenebris versari, à sententia abducere, ab errore, quo sunt impliciti, (nisi cornea fibra, jecur adamantinū, robur & æs triplex circa pectora eorum fuerit) ad rectiorē viam revocare, atq; è contrario MULIERE nihil esse fortius validis & nervosis (quomodo mihi persuadeo) argumentis, pro virium mearum portiuncula, declarari decrevi. Dicitur^o itaq; de re tam ardua, minimeq; levi, rogo vos, Auditores, vel potius precibus omnibus oro atque obtestor, ut mihi aures non quas circulatoribus, scurris, ac morionibus; sed quas sacris concionatoribus consuevistis arripere præbeat, verbaq; mea in memoriæ thesaurum, scrinium, & armariolum recondatis.

Confutatio.

Cum autem agrum, nisi extirpata prius zizania evulsis sentibus & omnium stirpium radicib^o amputat

putatis, conferere non liceat, fecisse operæ pretiū videbor, si docti agricolæ instar, prius tribulos, lolium, carduos, & urticas radicitus extirpauero, quàm purgatissimum & purum tritici granum sulcis immittam; si (inquam) dictorum prius antecessorum diliramenta confutauero, quàm ad meam sententiam stabiliendam accedam; ut illorum venenis cognitis, mea libentius antidota bibatis. Is, qui in loco inculto, agrestiumque plantarum asperitate vastato hortum facere instituit, opus est, ut prius inutiles illas plantas evellat.)

Qui serere ingenium vult agrum,

Liberat arua prius fruticibus,

Falce rubos filicemq; resecat,

Vt nova fruge gravis ceres eas.

Valeant ambages, ad ipsam tandem rem veniamus, certaminis nostri ingrediamur carceres atque inde ad metam contendamus. Equidem, quod ad me attinet, quo me vertam, nescio: evellam ex animis eorum tantam opinionem, tam penitus insitam, tam vetustam? Non est nostri ingenii: vestri auxilii est (Auditores) hoc onus aliqua ex parte allevare. Heu me quid agam unde hanc telam exordiar, unde principium faciam? quæ primo aut ultimo loco dicam? Tecum, tecum, inquam, mihi primò, qui VINI fraudes, laudes dixissem, decantasti, res erit.

Cùm te elapsis diebus nonnulli magna cū admiratione hoc eodem in loco clamantem, erravi declamantem dicere erat in animo, audirent, ita sunt admiratione tui inflammari, ut ex omnibus, quos antea præstantissimos existimassent, tibi uni in Oratoria palmam deberi certissimò sibi persuaderent. Quin si animo tū obsequi licuisset, unà cū illo exclamare veriti nō fuisset: ὃ σύνεσες ὦ λόγοι, ὦ μνήμη, ὦ συνθήκη Μακάριε, λέγειν ἔτο, μάλλον δὲ φρονεῖν ἔτε δυνάμεν. Verū efficiam (non armis, sed validis

Boët. de
conf. lib. 3.
metro, 1.

Contra Vi-
ni Enco-
miasten.

argumentorum machinis instructus) ut etiam his contemptui fias, quibus prius fuisti admirationi. Non possum satis mirari, quis te in hunc detestandum errorem induxerit: demiror, inquam, quis malus genius, quæ pestis, quæ intemperantia, quæ furia primum in mentem tuam immiserit rem addeò belluinā. Incertus sum, utris poti⁹ indignandum; iis, qui te ad hoc facinus, aut, ut melius dicam, scelus instigarunt; an tibi, qui improborum consiliis, quàm bonorum virorum monitis obtemperare malueris. In te quid potissimum admirari debeam hæsito, malitiamne, an impudentiam, an vecordiam? Non te pudet manifestæ vanitatis? nõ erubescis adumbrata pietatis fucō mendacia deferre palum? Non meream certè vel Attalicas gazas, vel Pelopica talenta, vel mundum, quantus quantus est, ne totum quidem plenum auro, ut in tantum inciderim errorem. Quantum, Deus bone, stupui, cum tuas nœnias Siculis gerris vaniores audirem? quanta, quæso, quamque acuta doloris cuspidē pectus meum tunc perfossum fuisse existimas? quanta ira siccum jecur arsisse opinaris? Illud verè dicere, & religiosè affirmare audeo, te præter reprobanda quorundam Epicureorum testimonia (quorum vel sola recordatio mihi nauseam movet) ad violentiæ tuæ & erroris fulcimentum nihil adduxisse, te futilibus tantùm fabulis, bullatis nugis, & vanis anicularum deliramētis tuam sententiam comprobasse; quòd convincit te esse hominem deploratæ partim impudentiæ, partim insanix. Quod minimi faciendum est, id tu maximi ducis: quod prima mentione dignum est, id tu vel silentio præteris, vel omnibus rebus posthabes. Hic tibi mecum non convenit, ex diametro nostræ sententiæ secum pugnant. Esto, Vinum sit forte, illud nemo negat. Sed magna admiratio animum meum invadit, & de
men-

mentis pene loco præ admiratione rapior, te illo
 nihil esse fortius bliteis nec caput nec pedes ha-
 bentibus, siculneis & prorsus inualidis rationibus
 asseverare. An nõ ista mentis extrema cæcitas est?
 O ora saxi, non verbis retundenda! O verba ne
 abjectissimis quidem porcariis, aut ciceris, & fra-
 ctæ nucis emporibus permittenda! Si dixeris te
 culpa carere, ac nihil commeruisse, dicto citius ac
 sub manum mendacii te convincam. Nonne mu-
 lieres omnibus, qui vites plantant, & vitam con-
 ferunt, & alimonia, & ad robur usque perducunt?
 Quis ergo, te (inquam) merulentum, & vino mar-
 centem, obducto supercilio contractisque nari-
 bus, ut immundum & putidè olentem non aver-
 saretur? Quis te non cum nausea velut scarabæ-
 um stercorei bubulo se potissimum alentem refu-
 geret? Quis te non excreteret? Quis te naso non
 suspenderet & postica fanna eluderet? Quis de te
 oriosa garrulitate non fabularetur? Quis non di-
 ceret, te minus habere cerebri quàm cimex sangui-
 nis? Quis te non severa scutica, brevibus gyaris,
 & Umbrarum carcere dignum pronuntiaret? Quis
 te non Perilli tauro, & Busiridis ara dignissimum
 assereret? Nescio si vel Crassus ipse, què semel tan-
 tum risisse memorant, continere se posset à risu,
 quoties huius demeritæ recordaretur. Quòd si tuis
 ineptiis contentus viveres, neque alios eodem cu-
 peres sordere luto, esses quidem ridendus, non ta-
 men tanto odio habendus. Verùm non spero te ex
 animo locutum esse, quod soles mirus esse simu-
 landi dissimulandique artifex, & nugator omni-
 um nugacissimus. Credo te in hoc argumento
 vel exercendi, vel laxandi ingenii gratia ludere,
 ἢ γὰρ χύτρας, ut Græco proverbio utar ἐπεδείκνυσθαι
 voluisse: quod idem jam olim à multiformi erudi-
 tionis suppellectile instructis authorib9 est facti-
 ratum, quos λαλεῖ (ut & Græcè balbutiam) ἄριστον
 αἰδέναι.

ἀδυνατώτατ' & δολέγειν secutus esse videris. Atque si Cyprianum (qui magnam sibi gloriam ex artis Oratoriæ professione quæ sivit) immutata littera Caprianum vocârunt , quasi quod elegans ingenium & melioribus rebus aptum , ad aniles fabulas contulisset , quid tandem tibi non accideret ? qui neque vim persuadendi , neque subtilitatem argumentandi habere potuisti ? Sed vereor ne , si in his fuero diutius immoratus , aut oblitus esse propositi videar , aut crimen loquacitatis incurram.

Ad te igitur **R E G U M** adulatorem , mirumque seminandarum litium artificem venio , te gravem rerum consultorem apello , qui præteritis diebus contra potatorem istum vini convitiis sagittas jaciebas , qui plaustra convitiis plena in ipsa effundebas , qui caninam & rixosam facundiam exercebas , qui cothurnatam ac tragicam eloquentiam affectabas. Quæ te mentis insaniam , quis furor exagitabat , ut Rege nihil esse fortius asserere non erubesceres ? Hoc non sani esse hominis , non sanus juret Orestes. Hoc persuade quibus caput vacuum est cerebro , mihi certè non persuadebis , etiam si vel ipsa sis Suadela. Quæ fuit unquam in ullo homine tanta impudentia , impudentiam dico ? nescio an melius insaniam possem dicere. Quotus enim istud quisque fecit ? Certè studiosus Monasteriensis ante te nemo. Imperitiæ te arguam , an temeritatis accusem nescio , non modò quid oppugnares , sed etiam quid defenderes nesciebas. Quamvis temporis gratia conticebam , animo te tamen deridebam , utpote cum diceres te illuminaturum alios , cum ipse cæcus esses , reducturum alios ab errore , cum ipse ignorares , ubi pedes tuos poneres , eruditurum alios ad veritatem , cujus scintillam quidem nullam aliquando vidisses. Non est iam lenitati locus , severitatem

res ipsa flagitat. Licet ægris & implacidis auri-
 bus accipias, non tamen non possum id quod res
 est, dicere. Abhorret à vero, mendacio affinis es.
 Velis, nolis, oportet, ut æqui bonique consulas, o-
 portet, ut in bonam partem accipias. Ut hoc inte-
 rim tibi largiar, maximam esse potentiam Regis;
 tamen quis ignorat mulieres genuisse Reges? quid
 dico Reges? imò verò omnem populum, qui do-
 minatur mari & terræ. Atque imperant quidem
 Reges subditis; sed mulieres imperant Regibus,
 juxta dictum illud gravissimi Catonis: *Nos impe-
 ramus omni orbiterarum, nobis verò uxores.* Cui
 consentit Aristoteles, omnium Philosophorum
 διδακτώτατ' in hæc verba prorumpens, ὡτῆς ἀν-
 θρωπίνης τλαπαρίε, ὅτι πολλοὶ πολλάνισ πολέμιων
 κρατῆτες καὶ ἄλλων πνῶν γυναιξίν ἐδέλευσαν Quid
 multis? Non est dubium, quin & multi Reges, &
 Principes & primates sint servi uxorum.

Verum hæc ipse equidem, spaciis exclusus iniquis,

Prætereo, atq; alijs post me memoranda relinquo.

Quis autem ex hac tanta frequentia te assellum bi-
 pedem non rideat? quis te non ludos deliciasque
 faciat? At dices forsitan, quid causæ est, quòd tan-
 to opere mihi succenseas, in me tam graviter excla-
 mes, tam acriter inveharis, tam furiosè sævias? Ni-
 hil hercule peccavi, nihil commerui, nihil deni-
 que tanto dignum convitio perpetravi. Refer,
 inquis, ad Scholæ nostræ Dictatorem, & reliquos
 Præceptores, id enim postulas: non referam id,
 quod abhorret à meis moribus, sed tamen faciam
 ut intelligas, quid hi de te sentiant. Dignissi-
 mum te esse pronuntio, cujus in exitium & mor-
 tem non una paretur simia, non serpens unus, non
 culeus unus: sed quidquid ab ingeniosis ad homi-
 num tormenta & miseras tyrannis unquam re-
 pertum est. Quid est nebulo, quid attendis, quid a-
 nimadvertis horum silentium? patiuntur, tacent.

Quid exspectas auctoritatem loquentium, quorum voluntatē tacitorum perspicis? Demiror quid te commoverit, ut sic more Andabatarum gladium in tenebris ventilares, & linguæ sonum ad confodienda tui tantum corporis membra concuteres, Facile equidem persentisco, & summis naribus olfacio, novi ingenium tuum. Pulchre tanquam meos ungues sensum tuum calleo. Quasi vero mores tui intus & in cute unicuique non sint explorati, Patere tua consilia non sentis? Constrictum jam omnium horum conscientia teneri consilium tuum non vides? quid consilii ceperis, quem nostrum ignorare arbitraris? Teneris undique, luce sunt clariora nobis tua consilia omnia. Voluisti ad voluntatem potentium loqui, ut te in summo dignitatis gradu locarent, & ad amplissimos honores perducerent; ut (inquam, te in Ecclesia celebri ac Metropolitana Sacerdotio non jejuno, sive (ut nunc vocant) Præbenda Concionatoria donarēt, in pingua demortui alicujus annua Sacerdotalia inaugurarent, aut in collegium aliquod Canonicorum concenturiarent. Sed vide ne te ipsum vana spe lactes, vide ne spem foveas vel ipsis nebulis inaniorem. Quando tandem donabunt te Sacerdotio? cum mare, ut dicitur, vitem protulerit, ubi sita erit illa tua Ecclesia? In utopia, ad forum boarium, juxta puteum; ubi fœnum perinde atque pannum metimur ulnis. Quid faceres tu in Ecclesia? profectò, ut Græco biverbio utar, idipsū quod canis in balneo. Dignior esses qui remiges in triremibus traheres, quam ut animarum salutem procurandæ admovereris. Non desideras opus, sed opes; pro Pastore ageres depastorem, ara tanquam hara contempta, more adulatorum in aula degere, & in Ecclesia Christi τεχνολογῆν quā θεολογῆν malle. Sicut Crocodilus, anceps animal, nunc in terris agit, nunc in aquis; in terra ponit

ova, in aqua prædatur & infidiatur: ita simul & au-
 licus esses, & Ecclesiasticus, utrobique pestilens.
 Quamdiu potentibus inservivisti, semper id unū
 egisti, ut amplissimæ pecuniæ dominus fieres, ut
 magnam auri argentiq; vim possideres, breviter,
 tuum omne studium in cumulandis opib⁹ & cor-
 radendis nummis consumpsisti. Qui pridie quam
 huc venisses, ne obulum quidem habebas, unde
 restim emeret, jam inter cascatos montes nutritis,
 butyro & melle saginatis, nitida & bene curata
 cute ac probè saginato corpore ampullosus ince-
 dis. In summa mendicitate eras, & tam nudus tan-
 quam ex matre, nunc autem benignior tecum for-
 tuna ludit, & utramque (quod dicitur) mammam
 dedit lactendam. Qui enim solebas calceamentis
 (ut alia obliviscar) ut lignis, quemadmodum ru-
 ri per hyemem moris est, jam compositis & ele-
 gantib⁹ calceis indutus incedis, & pavonis flagel-
 lum, exuviumq; leonis præ te ferre videris,

Sed jam hoc totum & facilè patior fileri. Vale-
 ant quæ nihil ad Bacchum, nihil ad versum, nihil
 ad rem, nihil ad hoc epos faciunt. Illud, etiamsi dis-
 rum paris, inficiari non potes, priscos Reges maxi-
 ma ex parte insigni stultitia præditos fuisse, id
 quod partim è Poëtarum, partim ex Historiogra-
 phorum monumentis licet cognoscere. Num ne-
 gare audes? Quid taces? convincam, si negas. To-
 ta Ilias Homeri quam est longa, nihil aliud, quam
 quod eleganter scripsit Horatius.

Stultorum Regum, & populorum continet astus. Vn-
 de natum est ubiq; gentium semper decantatissi-
 mum & observatu dignissimū Proverbium, (quod
 utinam in literis duntaxat extaret, non etiam in
 omnium prope vita:) Aut Regem, aut fatuum na-
 sci oportet. Quin omnes potius, Auditores, & ve-
 terum, & neotericorum Annales evoluite, nimirū
 ita comperietis, vix sæculis aliquot unum aut

alterum extitisse Regem, qui non insigni stultitia maximam perniciem invexerit rebus humanis. Ignoscite, si videbor æquo liberius dicere. Vereor ne imminuam summorum virorum auctoritatem & gloriam, dicam tamen dolore commotus. Non est nostrum de summis proceribus veluti pronuntiare, sed tamen cogimur non sine suspiriis sapientiam in Christianis Regibus desiderare. Alioqui unde tot rerū novationes, tot toties icta & rescissa fœdera, tam crebri tumultus, tot strages, tot pugne, tot minæ, tot dissidia, nisi à stultitia profisciscuntur? An non videmus egregia oppida à populo condita, à Regibus (cur hoc relinquis in ultum Jupiter?) subverti? Rempub. civium industria ditescere, regum rapacitate spoliari? bonas leges ferria plebeiis Magistratibus, à regibus violari? populum studere paci, reges excitare bellum? Nemo his offendatur, cum nullius designetur nomen, nullum læsi, nes veteris Comœdiæ licentia cerras personas perstrinxi. Optamus esse nullos, in quos hæc congruant. Et si nunc tales nulli sunt, (quod faxit Christus?) tales olim fuerunt, & in posterum fortasse futuri sunt. Quæ cum ita sint, & cum potentia, nisi sit cuncta sapientia bonitateq; conjuncta, sit tyrannis, non potentia (quam ipsam tamē populi consensus, quemadmodum dedit, ita potest eripere) quis te, te dico apertè halophantē, in ultimas terras, in extrimas Iberiæ fines, & ultra columnas ab Hercule fixas deportandū esse non diceret? Discipulus fortasse Anaxagoræ fuisti, cui nives atramentum fuerunt. O cæcum pectus! O mentem Cimmeriis, ut ajunt, tenebris atriolem, & densissima impietatis caligine occæcatam! O venatorem Sacerdotiorum, à consortio humano prorsus segregandum! Non te tam pertinacē fore arbitror, ut clarissimū solem sanis ac patētibus oculis videre te neget, neq; pectore adeò obtuso, ut verbis humanis nō mollescas. Erubescere, erubescere.

erubescere (inquam) aliquando, & si non prudentis, ac saltem paululū verecundi hominis faciē sume. Si hactenus delirasti, nunc respiscas, muta tandē istam mentē. Sunt mihi, Auditores, vela orationis vertenda, & blandius esse loquendū video. Nimis urgeo, ad me revertar, commoveri videtur adolescens. Tam caperata, tam tetrica, tam corrugata eū fronte conspiciatis, quam si cepas edisset, acetū bibisset, sinapi victitasset, aut ex Trophonii specu nobis rediisset. Desloruit illi anim⁹, aspergite ei aquā, ut ad se redeat, seq; ab ista aegritudine recolligat. Ignoscite, Auditores, erravit, lapsus est, nō putavit, pænitet, delicti veniā petit, ut igōscatis orat.

Hic jam plura, Auditores, non dicam, sed validis tum rationib⁹, tum argumentis meam sententiam (Majestate cœlesti mihi dicendi facultatem suggerente) comprobare aggrediar. Quod dum facio, adēste omnes animis, qui adēstis corporib⁹, erigite mentes auresq; vestras & me de tantis rebus dicentem attendite. *Confirmatio.*

Principio quis nescit MULIEREM non solum procreare & educare Regem, sed totum etiam mundum conservare? Quis ignorat homines sine REGE & VINO esse posse, sine MULIERE non posse? Quis dubitat Regem sine Regno nihil posse, mulierem verò suis viribus valere, & potentissimos Reges vincere vel arte sua, vel forma, vel blāditiis? Adhæc, quis ignorat, quantum divitiarum amore teneantur homines? Cū quis invenit aurum, incredibili afficitur voluptate, ad eò gaudet, ut illum diem Romanæ felicitatis vincat, quo primum Marcelli apud Nolā prælio post Cannensem pugnam Hannibalis agmina conciderunt *ὡς ἔφησε* (ut cū Phocylide loquar) *εἰ θεοὶ μὴ συντόμισαν ἄνθρωπος πᾶν μα ποθεῖ, ἴδν.* Non immeritò Diogenes, cum interrogaretur, cur aurum palleret, respondit: quoniam plurimos habet sibi insidiantes. O quam latū argumentum,

mentum, quam spatiosus hic se mihi loquendi campus aperit, copia suppeditat; farragoque; quanta loquendi. Etsi autem ita se res habet, tamen quis mulieres non omnibus Arabum divitiis longè præponit? Reperiuntur qui omnibus divitiis contemptis, mirandum in modum amant mulieres, etiam annis pannisque oblitæ, quæ multorum festorum Jovis glandes comederunt, multis Olympis interfuerunt, pedum robore defectæ, ut sursum deorsum possint ambulare, scipione nituntur, quibus caput incanuit, genua tremunt, dentes cadunt, frons ob senium rugis arata ac veluti sulcis est distincta, ubera præ senio laxa, & cutis rugosa, quibus denique instar boum pendent à mento palearia, & frigidus (ut inquit ille) obstitit circum præcordia sanguis. Si tales, longo jam senio mortuæ adeoque cadaverosæ, ut ab inferis rediisse videri possint, divitiis præferuntur, quis non insigniter formosas, albicantes, nitidis genis, purpureis malis, roseis labiis, ætate integras, jam dudum viro aptas, & conjugio maturas puellas iis longè præferret? Quibus omnis cura de vestibus, si bene oleant, si pes instar follis incluso vento non moveatur, quæ in vestibus non calorem, sed colorem quærunt, crines calami vestigio rotant, & in orbem flectunt, mitellis crispantibus verticem innoxium arctant, capillis alienis instruunt, Cincinns (ut inquit ille) quorum argento notantur & auro? fucis quibusdam, ut purpurisso & cerussa ora oculosque depingunt: etsi tantis negotiorum undis obruantur, quantis vix manu promptissimus sufficiat exhauriendis, toto tamen die quid sibi desit quærunt ad speculum, nusquam à speculo discedunt, juxta illud:

Natura Mulier satagit formosa videri,

Ducit ob id totos se poliendo dies.

Vnde apud Sybaritas usus irrepfit, ac paulatim temporis progressu robur collegit, ut mulieres abus-

abusque anno priore ad convivium vocarentur, quo se per otium auro vestibusque possent exornare. Candidos interdum nudant humeros, & quasi videri noluerint, celant festinæ, quod detexerant volentes. Prælongas caudas à tergo trahunt rugis, fistulis organorum Musicorum similibus, miseros lumbos onerant, latas habent manicas ad terram usque porrectas, nec in aliud utiles, quàm ut onerent brachia, imò sic tenera corpuscula onerant, ut non possint succrescere. Vestem, ut altior videatur, trahunt, papillas fasciculis comprimunt, & crispanti cingulo angustius pectus arctant. *Dant digitis gemmas, dant longa monilia collo.* Vocetinnula & gratis oculorum nutibus loquuntur. Ne plantas humidior via spargat, vix imprimunt summa vestigia, si vel culmum, aut stramen fortè habeant obvium in itinere, diverticulum, ambages quærunt, cum id divaricando transmittere & superare non queant. Erecta cervice & ludentibus pedibus incedunt, erectæ (inquam) incedunt, ac propemodum resupinatæ, sinuntque sibi à viris aperiri caput, flecti genua, ipsæ nihilo plus honoris exhibent, quam si infimæ famulæ loquerentur.

Nihil à veritate dico alienum, verba mea non sunt devia recto, nec absfona fidei. His autem (quod miserum est, & lachrymis prosequendum) fucis, histendiculis, his imposturis, non solum in se convertunt virorum oculos, sed etiam animos in libidinem rapiunt. His incantamentis ac veneficiis illectant viros in amorem sui, aded ut cum Pamphilo Terentiano dicant. *Hanc mihi expetivi: contigit, conveniunt mores, valeant qui inter nos dissidium volunt. Hanc, nisi mors, mihi adimet nemo.* Hisce prestigis, viros (ut triviali fertur adagio) vel Tiresia, vel talpa cæciores reddunt. Siquidem amori non raro honesta videntur, quæ sunt scæda: hic meretriciam dicacitatem, appellat urbanitatem; hic

oculo-

oculorum, incessus, ac gestuum lasciviam, interpretatur comitem. Atq; sponsis amantibus mos est suam cuiq; sponsam certatim extollere. Etsi ad prodigium usq; sit deformis, etsi sit nigro capillitio, simis ac sursum hiantibus naribus, ore prælar-go, ventre prominulo, vertice acuminato, raro capillitio, eoque lacero, impexo, furfure ac lendibus oppleto, dentibus putridis, balbutiente lingua, mento scabioso, tamen sponso vel cum ipsa Venere certare posse videtur. Etsi eam cum multis habeat communem, tamen plusquam Penelopen esse dejerat. Cuius rei sat magnum exemplum extat de Tarquinis adolescentibus. Eam ob rem opinor, veteres illi Poëte (qui rerum vim ac naturam & sagacissimè perspexerunt, & aptissimis figmentis adumbrarunt) Cupidinem cæcum finxerunt: hodie per ora cunctorum obambulat adagium, nullū reperiri deformē amatum, propterea quod amanti vel non pulchra pulcherrima videantur. Quam sententiam eleganter extulit Theocritus, ἔρωδι, inquiens, πολλάκις περιηὴ καὶ καλὰ καὶ πείρανται. Verum de his plus satis. Dici autem vix potest, Auditores, quid charitatis, quid habeat voluptatis gremium maternum. Mirum quanta sit patriæ (quæ communis est omnium nostrorum parens) mortalibus dulcedo ingenita, ut, penè dixero, citius nos ipsos amare desinamus, quàm patriæ oblivisci. Videmur quidem nobis tanto jam studiorum amore flagrare, tanta Musarum dulcedine trahi, ut literis omnia semper postfutura credamus; at post paucos dies (mihi credite) potestate facta patriæ revisendæ, hic fervor amorq; literarum penè totus refrigeret. Quamvis hæc ita se habeant, tamen nemo non mulieres patriæ longè præponit. Non pœnitent quosdam, quò uxorem egregia honesta ac liberali forma consequantur, difficilem, ac longiam quam peregrinationem suscipere, vel in extre-

mam

nam Indiam, & (ut est in Proverbio) ultra columnas Herculis proficisci, ac horrendo ventorum imperu rapi, adeò etiam, ut & corporis & animi pericula sæpe contemnant.

Quid parentum pietate sanctius? at huic tamen conjugalis præfertur fides. Quo auctore? Deo. Quo tempore? non Judaismi tantum, sed Christianismi quoque; deseritur pater, deseritur mater, & adhæretur uxori. Super hæc omnia, nemini ex tota circumstantium corona non constat, quàm execranda sint vitia, furtum, homicidium, rapina & similia. Tamen hæc (quod miserrimum est, & nulla lachrymarum profusione sat dignè prosequendum) mulieris ergò in hoc miserrimo statu non tardè perpetrantur.

Ac ne quis à nobis hoc ita dici fortè miretur, verum est quod scribit Lucanus: *nescit plebs jejuna timere.* Quoniam magna est rerum omnium penuria, & incredibilis annonæ caritas, multi qui labore & quæstu suæ professionis quærere sibi & uxori querulæ victum & amictum nequeunt, coguntur ad latrocinia & expilationes divertere, aut viatoribus insidias moliri; licet certò videant se suspensum iri, si corripiantur. Sæpenumerò accidere videmus, eos, qui prius sunt illustrissimis honoribus conspicui, & tam altis evecti sedibus, ut tantum non se digito cælum contigisse arbitrentur, technis mulierum ad extremas miseras delapsos, Iro Codroque pauperiores evadere. Ex adverso, etsi mulieribus & ne minima quidem sint divitiarum ramenta, tamen à viris eas consequi, unde hanc vitam commodè traducant, conspiciemus. Aulus Gell. luculentissimus ille Romani sermonis vindex de Laide meretrice huiusmodi ex Phocione Peripatetico refert historiam. Lais, inquit, Corinthia, ob elegantiam venustatemque formæ grandè pecuniam demerebat, conventusque ad eam

ad eam ditiorum hominū celebres erant ex omni Græcia, neque admittebatur, nisi qui dabat, quod poposcerat: poscebar autem nimiam quantitatem. Hinc ajunt natum esse illud frequens apud Græcos adagium, & *πενὶς*, &c. latine fiet quod frustra iret Corinthum ad Laidem, qui non quiret dare quod posceretur. Hæc eadem à Demosthene decem aliquando millia nummum, hoc est mille coronatos Francicos poposcit. Quasi verò mihi difficile sit multos nominatim proferre, (ne longius abeam) huius civitatis incolas quorum marsupia mulieres exenterarunt. Verum homines notos sumere odiosum est, cum & illud (si Ciceroni credimus) incertū sit, velintne hi sese nominari. Vnum novi qui primum splendidis & magnificis vestibus erat conspicuus, & loculos habebat ære distentos, jam verò vestes penè habet detritas & laceras, ut vix in publicum prodire audeat, & crumenam gerit prorsus emunctam atque exenteratam, aranearumque magis quam pecuniarum plenam, ut cum sodalibus & congetronibus subinde conbibonem agere non queat. Circumamictus est pallio toto confuto atque variegato panniculis, quot, penè dixerim, cælum stellis. Quid pluribus? in eum locum deductus est, eò redactus est miseriarum, ut ei ad victum necessaria minimè suppetant. Vestra admurmuratio facit, auditores, ut hunc agnoscere videamini, qui hoc sit: ego autem neminem nomino, quare irasci mihi nemo poterit, nisi qui ante de se voluerit confiteri.

Præterea mulieres ex sapiente possunt facere archimorionem, ex domino servum, ex capillis senem, mente juvenem. Quis enim ignorat fortissimi *Samsonis* facinora, vel cum Herculis factis minime comparanda? Quis ignorat huius fortitudinem ab Angelo esse prædictam? Quis ignorat hunc leone fortiorē, & saxo fuisse duriorē? Quis ignorat hunc

hunc unum & nudū mille Philistæos armatos affi-
 ni maxilla interfecisse? Det tamen hunc, hunc (in-
 quam) quem multa millia hostium armata non vi-
 cerant, una muliercula, sine tumultu, sine delectu,
 sine armis, sine exercitu superavit. Quis ignorat
Davidem: secundum cor Dei electum, inauditæ
 proceritatis, Colossææ magnitudinis, & immensi
 roboris Philistæum Goliath, hostem populi Dei
 immanissimum, cum cæteris hominibus magni-
 tudine corporis non conferendū, universis Israëli-
 tis terribilem, ab adolescentia, adolescentia autē?
 imò pueritia: adhuc lapsus sum, ab ipsis cunis in
 omni bellorum genere versatū, in bellicæ rei lau-
 dibus, vel cum Scipionibus, ac Pyrrhis conferen-
 dum, à vertice ad imos pedes armatum prostravis-
 se, omnes Philistæos in fugam coniecisse, & popu-
 lum Dei conservasse? Idq; cum esset adhuc ado-
 lescens, minimus suorum fratrum, pastor ovium
 rei militaris, & certaminū imperitus, gestandis ar-
 mis inassuetus, baculo tantum, funda, & quinq; la-
 pillis limpidissimis de torrente instructus. Hic, hic
 tamen mulieris technas atq; fallacias non evasit, à
 muliere nullo negotio superatus est. Quid est, si
 hæc fortitudo non est? Quis ignorat mulieres *Salomonem*
 huius filium, (etsi sapientissimus, Rex es-
 set Judæorum,) cum jam senectute & canicie esset
 reverendus, cum (inquam) longa ætate multa que
 rerum experientia esset callidus, & alterum (ut di-
 ci solet) pedem in Charontis cymba haberet, ad
 idololatriam perduxisse? Quis ignorat mulierem
 primum omnium nostrum parentem ac Paradisi
 colonum *Adamum* decepisse? deque possessione
 dejecisse? Huc pertinet vulgaris ille versiculus:

Adam, Samsonem, Loth, Davidem, Salomonem,

Fœmina decepit, quis modo tutus erit?

Hic versus dignus est, qui omnib⁹ incidatur co-
 lumnis, qui pro templorum omniū foribus descri-
 batur,

Pars I.

X

batuf,

batur, & quidem aureis notis, qui in principalium
 aularum valvis depingatur, qui primatium in scul-
 patur annulis, qui regis in sceptris exprimat, qui
 in principum insignibus inscribatur; denique
 qui omnibus ubique monumentis repræsentetur
 propagetur, ac celebretur. Nunquid mulieres (si
 Historicorum testimonio succinere, & calculum
 adjicere volemus) *Sardanapalum* Regem Assyrio-
 rum eò illecebrarum perduxerunt, ut neglecta
 prorsus regni administratione, & relicta maiestate
 (qua Princeps tanto debet excellere, quanto sub-
 limior est cæteris) positus masculi sexus indumen-
 tis fœminam mentiretur, inter puellas & Eunu-
 chos evirator spadone delitesceret, & omne tur-
 pitudinis genus exerceret? Quis *Petrum* Apосто-
 lorum verticem, nostræ Religionis primicerium
 ac Coryphæum vicit? Num Pharisei? nequaquam
 num armati milites? nullo modo num mulieres
 magnæ authoritatis? minime gentium. Num an-
 cillæ? sic est, viles erant, ostiariæ, & abjectæ. Atq;
 hæc qua celeritate gesta sint, quanquã non ignora-
 tis, tamen à me in dicèdo non est prætereundum.
 Quis enim unquam tam paucis verbis tam brevi
 tempore, talem ac tantum virum superare potuit?
 Insuper etsi fortiss. ille Jovis & Alemenæ filius *Her-
 cules*, multorum monstrorum domitor, ob fortita-
 dinem clarissimus, & quasi Africanus inter Deos
 gentiles habetur, etsi ob heroicæ virtutes tantam
 laudem meruit, quantam nemo ex Principibus
 aliis, etsi omnium (qui prodigiosis viribus excite-
 re) laudem, multis intervallis excessit? tamen im-
 pudicæ mulieri *Omphalæ* servivit. Hac enim ju-
 bente fusos & lanas rudibus illis manibus (quibus
 portenta subegerat) atrectavit. Quam oram tam
 desertam putatis, quò non *Herculis*, summam ar-
 tis militaris peritiam habentis, fama pervaserit?
 Quod nomen unquam in orbe terrarum clarius
 fuit?

fuit? cuius res gestæ pares? & tamen mulier ipsum etiam ad lanificium compulit.

Novi virum, (cujus nomini parco) in quæ uxor, (Herculem ipsum verborum ac minarum viribus superans,) adeò duriter se viebat, ut dicere cogere-
tur: Heu mea uxor, quidquid voles, exequar pro-
perè, faciam quicquid jusseris. Cum domum num-
mis vacuus redibat, tam exoptatus uxori erat, quàm
primus dies parsimoniarum hominibus abdomini
& ventri deditis, & quibus animus semper est in-
patinis: tam charus, quàm Cereri filiam Proserpi-
nam abducturus Pluto: tam acceptus, quàm capi-
re damnatis & morte mulctandis grata lux oritur,
qua caput securi sunt subdituri: tam jucundus,
quàm mercenariis, multo adhuc somno gravatis,
& à labore diurno abhorrentibus, crepusculum
matutinum ad diurnam operam vocans; aut de-
nique tam gratus, quàm grata lux oritur tenebras
amantibus. Duriter ipsum jugulabat, faciem ejus
unguibus deformabat, longiores Homilias, quàm
Chrysostronus habebat. Vir tacitus dicebat: O
quantum in amore amari! O amorem melle &
felle fecundissimum! O infortunatam maritorum
conditionem! Vellem primo nuptiarum die me
subita morte consumptum fuisse, vellem mater
abortivum me peperisset, vel nutricis ab ubere
raptum feris devorandum objecisset. Quid faci-
am? quo me verram? miserum me, qui hanc mulier-
culam in uxorem duxerim. Complures mulieres ego
novi, quæ mariti minas non pluris aestimabant,
quàm Hercules Pygmæorum insidias, aut Thio-
damantis; imprecationes diras, increpationes non
pluris faciebant, quàm nebulas in pariete depi-
ctas, qui minis, dicebant, exanimatus perit; ejus
elatio bombis ventralibus est celebranda. Si eas ma-
riti contingerent vel primoribus digitis, nasum il-
lis præmordebant, dente s labefactabant, barbam

evellebant, unguibus genas lacerabant, caput omnibus capillis ita nudabant, ut affecta hyeme vix ulla possit inveniri arbor magis viduata foliorum & fructuum phaleris; tam (inquam) calvum, tam depilatum reddebant, quam sunt exuti plumis capones, jam verubus figendi atque torrendi.

Quare satis argute Metellus respondit Mario, cujus filium dote felicem, forma nobilem, genere clarum, fama celebrem ducere noluit: *Malo meus esse, quam suus.* Cui Marius: *Imò ipsa erit tua.* At ille: *Imò virum oportet uxoris esse.* Logicum enim est: Talia erunt predicata, qualia subiecta esse permiserint. Nonne mulier *Lutherum*, pestilentium & jam damnatorum errorum insignem suscitatore, novorumque nostri sæculi dogmatistarum Antesignanum coegit, ut cucullam, professæ Religionis symbolum, rejiceret, ut Monasterium desereret, & à fide declinaret? quam plurimi (ut nunc est temporum malignitas) in literis ac monasteriis educati, votis astricti, dehortantibus amicis, proposita infamia non levi, clamant se non posse esse sine muliere; aut (quod est omnium sceleratissimum) vago concubitu omnia contaminant, instar porcorum in cœceno libidinum volutantur, & carnis foeda oblectamenta sectantur.

Complures, qui à vano huius mundi consortio se separarunt, fucam personamque sanctimoniam præ se ferentes, pecuniæ contactum, ceu aconitum, horrent, nec à mulierum interim contactu abstinere, imo harum ergo nodosos Francisci funes dirumpunt, servitio Augustini exeunt, & jugum Domini projiciunt. Atque id genus homines, etiam si extremo essent supplicio destinati, jam jam securi lethifera percellèdi, cum divo Laurentio vivi Vulcani tradendi, miserrimeque excarnificandi, tamen mulieres nequaquam desererent. Quis est tam cæcus, ut hæc non videat? quis tam impudens, ut neger?

get? quis potest esse tam aversus à vero, tam mente captus qui hæc neget? qui hæc non videt, nihil videt; qui dissentit, nihil sentit. Hoc certe, Auditores, quod sum dictur⁹, neq; prætermittendum, neq; relinquendum est. Diabolus Lenæ cuidā pollicitus est par calceorum, si quendā virum sanctū, quem ipse multo tempore tēta verat frustra, ad incontinentiæ lapsum pertraheret. Lena perfecit, ac petiit mercedē ex pacto. At demō illi calceos longæ hastæ præfixos porrexit ultra fluvium, ipso facto cōfitens, mulierem esse tam sceleratam, ut etiam ipsis dæmonib⁹ esset abominanda. Nemo vestrum, Auditores, (ut à peregrina ad domesticam transeam⁹ historiā) non memoria tenet, mulieres superioribus annis Archiepiscopum N. decepisse. Qui talis ac tantus erat, ut nulla res tam esset difficilis, quam ille non cōsilio regere, integritate tueri, & virtute conficere posset. Sed quò mulieres eū perduxerunt? necessarium duco vobis pauca eorū, quæ acciderunt, in mentem revocare. Quæso diligenter attendite, remq; cognoscite barbaram crudelitatem, periculo verò & calamitate Reipublicæ perniciosissimam. Atrocissimis bellorum insidiis subditos suos opprimere conatus est: non modo opprimere conatus est, sed crudelissimè vexare, non vexare tantum, sed inaudito quodam genere feritatis extinguere. Manum ad id comparabat diversam quidem genere, sed magnitudine sceleris vitæq; similitudine penè eandē, exercitum ex senibus desperatis agresti luxuria, ex perditis, atq; ab omni non modò fortuna, verum etiam spe derelictis, ex iis qui Ecclesiam deserere, quàm illum exercitum maluerunt, & qui omni tempore in præda & sanguine erant versati, collegit. Villas (miserum me, consumptis enim lachrymis tamē infixus animo, hæret dolor) villas (inquam) exussit, agros vastavit, homines trucidavit, pecora abegit, templa diripuit,

diripuit, ad altaria Christi (heu piget ac pudet) equos stabulavit, non religioni, non dogmatibus, non ætati pepercit, non vagientis miseratus est infantie. Cogebantur enim mori (horresco referens) qui nondum vivere cœperant, & nescientes malum suum inter hostium manus ac tela ridebant. O feram immanemque naturam! O crudelissimum hominem, & ab omni penitus humanitate derelictum! Feritate lupos, rapacitate milvos vincebat, Sanctimonialium Monasteria profanabat, Altaria dejiciebat, Sanctorum Martyrumque Reliquias comburebat, & in favillas redigebat. Denique multa sceleratè, multa audacter, multa improbè faciebat: tam hæc sunt multa, ut Livianam superent historiam, & ad ea explicanda & Thucydides, & Sallustius sint muti. Quis autem siccis oculis hæc recordetur? quis hæc sine singultibus transeat? verum hæc missa facio, illud quaero, quid Episcopo cum Mavorte, qui Musis, imò qui Christo erat initiatus? quid ingenio tam candido cum barbaris cohortibus, ipso vultu sonoque vocis horrendis, cum terrifico raratantæ cantu, cum bombardarum tonitruis, cum formidabili armorum crepitu simul & fulgore, cum immani laniatione? quid erudito cum acie? quid archiepiscopo eum armis? imposuit nimirum illi immodicus amor mulierum, dumque nimium fortiter amat mulierem, regno privatur. Perit, perit penè & nostrarum rerum non nihil. Horret animus ea cogitatione complecti, quæ miseri pertulissimus, si sopor oculos illustrissimi nostri Principis detinisset. De cujus laude hic non est locus, ut dicam. Hic, hic ad illam pestem comprimendam, extinguendam, funditus delendum ortus esse videtur, & quasi divino munere donatus.

Quod autem N. diœcesin suam reliquit, quanto illum mœrore ferre putatis? jacet ille nunc (ut ego quidem sentio) prostratus, & se percussum atque abjectum esse sentit, atque retorquet oculos profectè

super ad illam diœcesin, quam ex suis faucibus ereptam esse luger. Quæ quidem lætari mihi videtur, quòd tantam pestem evomuerit, forasq; projecerit. O fortunatam diœcesin, quod hanc sentinam ejecit! Vno, me hercule, eo exhausto, relevata mihi & recreata videtur. Quid enim mali aut scele-
ris fingi aut excogitari potest, quod non ille conceperit? Quod maleficiũ fingi potest, quo iste sese non contaminarit? Quam subito ingentem numerum perditorum hominum collegerit, haud ignoratis nemo non modò in N. sed nec ullo in angulo totius Germaniæ oppressus ære alieno fuit, quem ille non asciverit. Illis autem omnibus & quod libebat, licebat, & quod licebat, poterant, & quod poterat, audebāt, & quod audebant, faciebant; & quod faciebant, ipsi molestum non erat.

Quid horum infirmare potestis? Novi complures qui non opinantur, sed sciunt; non audierunt, sed viderunt: viderunt? imo verò & interfuerunt. Sed cho, quonam evagor? quò luxuriante lingua vehor extra cancellos? quò feror extra oleas? quò me sermonis cursus abripuit? Jam dudum in alia regione peregrinor, & à destinato itinere multum deflexi, quin redeat in suum pulverem noster equus, redeamus ad institutum.

Tollite mulieres; (intelligite quid loquar) per paucis annis universum hominum gen^o, funditus intereat necessum est. Xerxem illum Persarum Regem potentissimum, cum de sublimi loco ingentē illam hominum multitudinē intueretur, lachrymas non tenuisse dicunt, quod ex tot hominū millibus post centum annos nullus omnino super futurus esset. Cur quod ille de suis copiis intellexit, non etiam de universo hominum genere perspiciamus? O si possemus in talem ascendere speculam, de qua universam terrā sub nostris pedib^o cerneremus! Jam vobis ostenderem totius Orbis ruinas,

& non Xerxis tantum exercitum sed totius mundi homines, qui nunc vivunt, brevi defuturos. Sublato sexu muliebri quotusquisque ex tot regionibus, provinciis, regnis, urbibus, castris, post centum annos superent.

Adhuc difficile est dictu, quam potentes sint mulieres ad instituendos viros. Quod ne cui vestrum mirum videatur, multas possem referre mulieres, quae ex terricis viris hilares, ex temulentis sobrios, ex prodigis frugales, ex cessatoribus industrios effecerunt. Omnibus lippis & tonsoribus est notum, nec vobis (opinor) inauditum, quod vir quidam non postremae nobilitatis puellae cuiusdam gratia frequenter pernoctavit foris: praetextus erat venatio. Uxor huius mulier, insigni probitate, pervestigavit furta mariti sui, & adit casam illam rusticanam, quam puella inhabitabat, expiscata est de toto negotio ubi dormiret, unde biberet, quis esset apparatus convivii. Abiit domum, ac mox rediit, secum adducens lectum commodum & apparatus, vasa aliquot argentea, addidit pecuniam, admonens, ut si quando rediret ille, tractaret eum civilius, dissimulans interim sese uxorem esse ac sororem esse simulans. Post dies aliquot redit eodem furtim maritus, videt auctam suppellectilem & apparatus lautiorum. Rogat unde is nitor insolitus? Ajunt matronam quandam honestam illi cognatam haec advexisse ac mandasse, ut honestius posthac acciperetur. Illicò tergit animum illius suspicio, uxoris hoc esse factum. Reversus domum rogat num illa fuisset, illa non negat. Rogavit & quo tandem consilio misisset eodem suppellectilem: Mi vir, inquit, assuetus es vitae commodiori. Videbam illic te durius accipi, putabam esse officii mei, ut quando ita tibi cordi, lautius illic habereris. O matronam nimium bonam. Ego citius pro lecto substravissim illi fasciculum urticarum ac tribulorum. Sed audite finem. Vir per-

specta

specta tanta probitate, tantaq; mansuetudine cō-
jugis suæ, nunquam deinde usus est furtivo con-
cubitu, sed domi se oblectavit cum sua. Huius ge-
neris quàm multa reperiantur exempla, vestris in-
geniis coniecturæque committo.

Ego autem iam planè τὸν ἄμμιον ἀναμειπειν (ut
multorum literis celebratum habet adagium) ag-
gredior, & dignus sim, quem multis cachinnis ri-
deat Democritus, nisi finem dicendi fecero. Et si lō-
gum quidem adhuc texere sermonem insatiabili
colloquendi ad vos desiderio pulsor, malo tamen
brevior haberi, quàm longis laxisq; verborū peri-
stromatibus orationem producere, & sinuosis an-
fractibus patiētissimas vestras aures suspensas te-
nere. Quamobrem necessum est, (quod interdum
disertos homines facere animadverti.) ut quæ di-
cta sunt, summam tribus, quod ajunt, verbis, re-
petamus, orationem in longum porrectam cōtra-
hamus, & in memoriæ thesaurum deponam. Au-
divistis, Auditores humanissimi, tum quam dete-
standis & execrandis erroribus antecessores mei
impliciti fuerint: tum quam longo intervallo Mu-
LIERUM fortitudo & VINI efficaciam, & REGIS po-
tentiam post se relinquat. Audivistis mulieres, eos,
quos neq; Reges vincere potuerunt, nullo nego-
tio devicisse: Non obscuris tantum verum etiam in
summo dignitatis gradu constitutis, imò fortissi-
mis ac potentissimis Regibus imperasse: Ex sapien-
tibus archimoriones, ex dominis servos, ex poly-
chroniis & senio confectis juvenes, ex tetricis hi-
lares, ex temulentis sobrios, ex prodigis frugales,
ex dormientibus vigilantes effecisse. Quæ præter-
ea diximus memoria retineris. Cum autem hæc i-
ta sint, spero imò intrepidè mihi polliceor, vos in-
meam sententiam non pedibus modò, sed mani-
bus quoq; atque ad eò toto corpore
descendisse.